

DISPUTATIO XVII.

De Veteri & Novo Testamento, eorumque discrimine

1. Aliud Vetus, aliud Novum Testamentum esse, ex Scripturâ certum est.

2. Quid vero sit Vetus, & quid Novum Testamentum, & quo discrimine discernantur, sententiis multum variantibus disputatur.

3. Pelagius & ante hunc Epiphanius, Clemens & Justinus, in ea fuit opinione, homines perfecte legem Dei implere posse, & ideo in V. T. aliam justificationis rationem fuisse, quam nunc si in Novo.

4. Quem recte refutat Augustinus ex Eph. IV. 4. Hebr. XIII. 8. Joh. VIII. 56. Rom. IV. 16. Gen. IV. 7.

5. Scholastici & quidam ex Patribus, tam N. quam V. T. de doctrina legis intelligunt. Sed ita, ut præcepta imperfectiora sint in veteri, perfectiora in Novo.

6. Quæ Opinio ex Mose & Prophetis refelli potest, Deut. 32. 35. Lev. 19. 18. Exod. 23. 4.

7. Quod autem Christus Joh. XIII. 34. mandatum de dilectione vocat Novum, fit 1. Quia Novo modo illud tradidit, 2. quia non proponitur veteri homini, sed renovato 3. Quia semper tanquam novum considerari debet.

8. Pontificii docent, vocari Vetus Testamentum, quod sit literis & scripto traditum, & augeat peccata: Novum vero, quod sit viva voce sine scripto tradendum; nempe quod Spiritus inscribat in mente renovata.

9. Anabaptistæ fingunt, V. T. tantum corporales, externas & temporales promissiones habuisse. Novum vero habere spirituales de Vita æterna.

10. Bucerus & Calvinus vocabulo Testamenti intelligunt tantum doctrinam de persona & beneficiis Christi Mediatoris. Et quoad materiam & substantiam statuunt non esse duo diversa, sed unum & idem Testamentum vetus & Novum. Discrimen autem ponunt in modo seu forma relationis. Nempe 1. quod Doctrina Evangelii in V. T. tradita sit obscurius, in Novo clarius. 2. quod

H,

in